

Pembroke 25 Sermo 89 (fols. 166r–168r)

.lxxxviii. PREDICATIO COMMVNIS

OMNIBUS POPVLIS :

Iuxta qualitatem audientium formari debet sermo doctorum ut ad sua singulis congruat . hoc est ut iuxta uniuscuiusque actus conueniat . et tamen a communis omnium ammonitionis arte numquam recedat . Vbi reges et speculatores . gloriosi principes et sacerdotes . seniores et iuuenes uiri et mulieres . diuites et pauperes . et omnes populi congregationes conueniant . Non una enim cunctis exortatio congruit . quia nec cunctos eadem morum qualitas constringit [.ii.] Considerare ergo debent sancti predicatorum . qualiter . quomodo . aut quid unicuique predicent . Conditor quidem caeli . fabricator mundi . redemptor generis humani . Vnicus filius dei explanat et ammonet quid primo omnium querendum sit dicens . Quaerite primum regnum dei . et iustitiam eius . et haec omnia adicientur uobis . Oportet uos ergo primum querere regnum dei per bona opera . Id est per fidem rectam et humilitatem . per castitatem et benignitatem . per ieiunium et orationem . per concordiam et pacem . per beniuolentiam et rectos mores . et ut nullus sermo immundus ex ore uestro procedat . quia dominus in euangelio ait . Omne uerbum otiosum quod locuti fuerint homines . reddent rationem de eo in die iudicii . [.iii.] Otiosum quidem uerbum est . quod ne cui quidem nocet nec utilitatem habet . Et ideo regnum dei prius queramus corde mundo . petamus ore pio . pulsemus opere bono . declinemus ab omni malo . quia si relinquamus omnia uitia et omne quod contrarium est uoluntati . tunc regnum eius possidere poterimus cum angelis et archangelis . cum patribus /166v/archis et prophetis . Cum martyribus et confessoribus . et cum electis eius omnibus .

Vbi est gaudium sine fine . serenitas sine nube . et pax sine com-
 mutatione . [.iiii.] Omnis ergo qui regnum dei querere uoluerit . cum
 fide recta et iustitia et caeteris predictis facile potest inuenire
 et qui inuenerit . numquam postea ammittit . Regnum autem huius
 seculi non omnis qui querit inuenit . et qui inuenerit non semper illud
 ualet possidere . Breuis est enim uita mundi . decidit ut flos
 foeni . nihil sunt dies seculi . ita sunt regna mundi . [.v.]¹ Conside-
 randum est ergo fratres karissimi et diligenter intelligendum . quod dig-
 -nam iustitiam — trac`ta`tor sapiens de uana huius seculi gloria
 dixit . O quam dolenda est nostra conditio . et fortiter ex`s`e-
 cranda . Deus enim nos inuitat semper ad caelum id est percepta
 ac mandata et legem uite quos diabolus mergit ad infernum
 per suas suggestiones . quibus primos parentes nostros seduxit
 dicens illis . Si de hoc ligno gustaueritis . eritis sicut dii ape-
 rientur oculi uestri qui consentiendo statim nudi facti sunt
 uelut mortui . quia primum genus mortis est in peccando .
 [.vi.] Praedonem sequimur . qui nos secum in captiuitate ducit . preter-
 mittimus redemptorem . qui nos proprio sanguine de fauce
 diaboli redemit . Qui nos ergo amauit odimus . qui nos
 captiuauit abusiue amamus . Carior enim nobis est qui nos
 seruituti et captiuitati subdidit . quam libertati et beatitudini
 restituit . O homo semper ante oculos preponae . quod non amicorum
 turba non sit² miliae multitudo . non auri argentique congestio .
 non gemmarum lapilla fulgentia pretiosa ac preclara . non uin-
 demiarum ubertas . non densitas segetum et fructuositas . non nu-
 merositas oliuarum . [.vii.] De quibus profluit unctio animarum non iocun-
 /167r/-ditas extensa pratorum . nec innumerabilia genera arborum
 pomiferarum in circuitu domorum illorum insertarum . Et cetera
 his similia ullum possunt animae discedenti de corpore
 presidium dare sed illi plus lugent . qui amplius diligunt .
 et dum auxilium ei prestare nequeunt . pugnis pectora et lacer

ta tondunt . Illi tamen qui sepulcho conditur nihil presta
 turum . nec proficit ei ad salutem . Igitur fratres karissimi . uigilate
 animo et expergiscimini . et estote parati . quia nescitis diem
 neque horam quia dominus uester ueniet . [.viiij.] Tribus enim causis dominus cęla
 uit a nobis aduentum diei mortis . Haec est enim prima . quia si diem
 mortis sciret homo . per multum tempus se peccato dedisset .
 et in breue uoluntati dei . Secunda est . quia si in breui tempore
 ante obitum cognouisset homo diem mortis . pro magnitu
 dine iniquitatum omnem uitam suam in errore³ et in disperatio
 ne duxisset . Tertia causa est . pro qua fecit deus ultimum diem
 incognitum . ut semper credamus esse proximum . et semper curam
 habeamus uigilandi . et in sanctis operibus adornati . Preparemus
 nos semper ad presentiam omnipotentis dei . quaso uos igitur sancti
 homines semper cogitate et nolite obliuisci interrogare .
 Vbi sunt amatores mundi . Vbi reges . Vbi principes . Vbi
 imperatores . ubi rebus locupletantes transitoribus . Vbi poten
 tes seculi . Ubi diuites mundi . Ubi parentes cum sobolibus suis .
 ubi ornamenta uestimenta uestimentorum . Ecce omnia quasi umbra
 transierunt . uelut somnium euanuerunt . [.viiiij.] Quaeruntur
 quidem et non inueniuntur . Hi ergo gemendi sunt . qui tali
 modo defecerunt . In labore enim uixerunt et in dolore mor
 tui sunt . quia dum tempus habuerunt . poenitentiam agere
 /167v/ noluerunt . nec precepta christi seruauerunt . Plus enim amauerunt
 terram quam cęlum . plus dilexerunt mundum quam christum . Plus
 amauerunt creaturas quam creatorem . Plus dilexerunt
 homines quam deum . plus amauerunt gulam quam absti
 nentiam . Plus dilexerunt luxuriam quam castitatem . nesci
 entes quidem quia castitas ducit ad caelestem gloriam .
 Adulterium autem trahit . ad poenam aeternam . Homini enim
 ebrioso et nimis satiato suaue est fornicari . Ambulat enim
 elate . superbe . cupide . arroganter . et inflate . Aliis enim

meliozem sé aestimat . cum sit peior . superiozem se omnibus facit . cum est inferior . dicit se bonum esse . dum est tamen miser . Ornat se quidem deforis de auro et argento et margaretis obtimis et uestibus pretiosis . et tamen includunt se intus uitia et peccata in illo . et sic est quasi sepulchra . aforis dealbata et ornata . Sepulchrum enim est semipulchrum . apparet enim locus sepulcralis aforis quidem pulcher . Intus autem putridus ossibus plenus et sordibus . sic est omnis superbus . dum fuerit mente elatus et imflatus . Festinare ergo debemus fratres karissimi . et emendare uitam nostram recte et pie uiuere . et quod antea male fecimus deflare . et ulterius peccando cessare . quia non requiret deus quales ab antea fuimus . sed quales circa finem uestrum asstiterimus . Ideo diligendus est a nobis uerus amicus noster . cuius ante mortem et post presidium nos comitatur . qui redemptor noster ideo dicitur . Redemit enim nos a diaboli captiuitate saluator . saluando nos in oportunitatibus in tribulatione . Protector protegendo nos . ut inter inimicos nostros maneamus inlaesi . susceptor . suscipiendo nos in aeterna tabernacula . id est in caelestia regna . Propterea preparemus nos fortiter ad haec . uacuemur uitiiis ut repleamur dei uirtutibus . Ut dum illud tempus beatissimum aduenerit . simul gaudeamus cum caelestibus . et de nobis impleatur quod dominus dixit . et erunt similes angelis dei . Et iterum . Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum . et uestigia semper angelorum consequentur . Angeli enim eorum semper uident faciem patris . Considerate ergo fratres karissimi sensu intelligibili . qualis tunc erit splendor animarum . quando solis claritatem iustorum habebit pulchritudo corporum . Cum enim ad istam beatitudinem uenerimus . nullus ultra erit timor . nulla tristitia .

nulla infirmitas . nulla mors . nulla miserae carnis
postea nobis nocebit aduersitas . sed semper nobis
ibi erit uita angelica . atque sempiterna lætitia . Conser-
uemus nos ergo in bona uoluntate et recta cogitatione .
cum sobriis uerbis et operibus sanctis . ut mereamur regnum pos-
sidere aeternum quod nobis paratum est ab initio mundi .
Haec nobis prestare dignetur saluator mundi . qui cum
patre et spiritu sancto uiuit et regnat . per infinita secula seculorum .
amen .

¹ [.v.] *The lection number in the left margin has been erased, but it appears to have been intended to mark the passage beginning here with Considerandum.*

² sit] ? *partially obscured*

³ errore] *corr. from errere*